




Liber Biblioth. Giessenæ veteris

Reposit. G. Num. 136.

~~E. 2050.~~

Rara 915 (1/29)

0



L

E

R

Es

DE V

Schola

pro

Autho



L. 57 *Conradi Bachmāni, 1635. M. Janj.*

ORATIO,
DE VELLERE AVREO
Scholastico: recitata Argentinae in
progreſſionibus claſſicis. 20. Aprilis, Anno

CHRISTI, 1590.

GR. HESS. LXIV.

BIBLIOTHEK.

Authore MICHAELE BOSCHIO præceptore
primæ Claſſis ibidem.



ARGENTORATI, Excudebat Antonius Bertramus.

Illustrissimis Dominis Principibus: qui illustrissima sua praesentia Actum illum classicarum progressionum illustrarunt:

D. IOANN. GEORGIO BRAN

DEBURGICO MARCHIONI:

ET

D. IOACHIMO CAROLO, DUCI

BRUNSVICENSI, ET LVNEBURGENSI:

ET

D. OTTONI, DUCI BRUNSVI-

CENSI, ET LVNEBURGENSI.

Dominis suis Clementissimis.

Hanc

DE AVREO VELLERE SCHOLASTICO Oratiunculam classicam



Summisè dedicat,

MICHAEL BOSCHIVS
Vvinsbemijs: Praeceptor
classicus.

ORA-

*De Aureo velle etiam agit
Pind. Pyth. 4. ubi Vide Scholia
ante vs. Et.
S. Iulij.*

ORATIO,
DE VELLE RE
Aureo Scholastico.



Vm mihi, Illustrissimi Principes:
Generosi, ac inclyti D.D. Comites,
atque Barones: Nobilissimi,
Magnificentissimiq; D.D. Scholarchæ:
Amplissimi D.D. Prætores:
Prudentissimi Consules &
Senatores ceteriq; qui ex aliis adestis Ordinibus, viri
clarissimi atq; doctissimi: Cùm mihi, inquam, de
voluntate Præceptorum meorum, pro laudabili Scholæ
nostræ consuetudine, aliquid ex hoc loco dicendum
sit: in mentem mihi venit illius summi Oratoris atque
Ducis clarissimi Atheniensium Periclis, in dicendo
cura, atque pia consuetudo: qui, quoties in publicum
prodire volebat dicturus aliqua de re ad populum,
nouis sese obligare solebat votis Diis immortalibus:
eisdemq; sollicitè rogare: *ne quod sibi verbum exci-
dere paterentur, quod vel officeret Reipublicæ, vel
offensionem adferret circumfusæ multitudini: vel ipsum
denique dicentem impediret: quò minus perorare
posset, cum favore & gratia totius populi.* Quòd si de
sua Orationis euentu tam sollicitè, tam anxie, tamq;

*Periclis in
dicendo cu-
ra atq; so-
licitudo.*

*Accommo
datio exē-
pli ad di-
centem.*

piè cogitaret Orator is, in quo tanta vis dicendi fuisse legitur, tanta ad mouendos affectus facultas: vt non loqui aut dicere: sed fulminare pro concione crederetur: & quòcunque vellet hominum mētes suæ orationis fulgure præstingere, atq; stupore quodam defigere: quid mihi faciendum erit, Auditores, homini adolescentulo, in quo, propter ætatem neque dicendi vbertas: neque propter iudicium dicendi facultas: neque propter imperitiam rerum, mouendi aculeus inesse potest? Quibus me astringendum votis putatis, Diis immortalibus? Aut quibus verbis colligendam mihi cēsetis, Illustrissimorum, Amplissimorūq; hominum gratiam? præsertim, cum tali mihi de re dicendum sit, quæ magis expoëtarum fabulis, quàm historiæ monumentis, profecta esse videri possit.

Quæ dum mecum paulò altius reputo: ita profectò animo percellor atque commoueor: vt quò me vertam aliò, non habeam: nisi, vt me totum, totum (inquam) in vestræ Cellitudinis, Generositatis, atq; Amplitudinis fidem, clientelam, ac beneuolentiam tradam atque committam: **DEVMQ; OPT. MAX.** quanta possum, voce supplicis rogem, vt **IPSE** orationem meam eò dirigere dignetur: quò si non finem optatum contingat: neminem tamen ex hoc tam illustri & Inclyto confessu, vel re, vel verbo læsisse, aut offendisse videatur. Est enim mihi à Præceptoribus

*Propositio
qua de re
dicendum.*

meis

meis venerandis iniunctum: vt aliquid nunc ad iu-
uetutem dicere velim, de AVREO VELLERE SCHO-
lastico. Noua fortasse, atq; ante hunc diem inaudita
nobis materia: veruntamen ita noua: vt si me auribus
vestris Clementis. de ea audire non dedignemini: fa-
cile intellecturi sitis, ex Iasonis antiquissima omnium
Græcorum expeditione Argonautica in Colchidem,
suum accepisse ortum atque principium. Quod, vt
facilius etiam mei condiscipuli percipere queat: pri-
um mihi necesse videtur, vniuersam illam, siue fa-
bulam, siue historiam de Iasonis vellere aureo, paucis
exponere. Deinde, quam variè illud vellus etiam à
summis viris explicatum fuerit, breuiter attingere.
Tum, quod nostrum sit vellus aureum scholasticum,
& quomodo id diligenter custodiendum sit, strictim
ostendere. Quibus de rebus, dum verba facere conor:
equidem ea, quã par est, summissione animi, vestras
Celsitudines, Generositates, atq; Amplitudines, sup-
plex rogo: vt me benignè, clementerq; audire digne-
mini: meeq; obedientiã plus, quàm orationis elegan-
tiã, quã nulla est, tribuere.

Primum ergo, qui res Græcorum ante CHRISTVM
natum in historiis commemorant: illi etiam, ante bel-
lum Thebanum & Troianum, expeditionem ponunt
Argonauticam, quæ in Colchidem olim suscepta fue-
rit à Iasone, ad rapiendum vellus aureum: quod à

Partitio
Orationis
trimèbris.

Argonau-
tica expe-
ditio in
Græciam
quando
suscepta
fuerit à
Iasone, &
cur?

Phryxo Rege quondam ibi suspensum, in honorem Martis, aut Mercurii credebatur antiquitus: propterea quòd per arietem, iram nouerçę suæ effugisset, ac tyrannidem, propter recusatam ei incestam libidinem. Cuius expeditionis causam fuisse hanc, quidã memorant.

Cum Pelias Rex aliquando imperaret Iolci, & ab oraculo responsum accepisset, se trucidatum iri ab eo, quem ad sacra venientem altero pede nudum videret: mox sacra Neptuni instituit, & ad ea omnes suos cõuocauit subditos: inter quos cum fortè fortuna à laboribus suis, etiam Iason properasset, relicto post se altero calciamento, nudo pede comparuit. Rex igitur memor oraculi, statim de eo interficiendo cogitat. Deliberans autem secum, quo singulari eum mortis genere vellet è medio tollere: nec satis inueniens exquisitum: tãdem ad se vocat Iasonem, eumq; sciscitando interrogat in hunc modum: Heus tu Iason, quidnam facturus esses tu ei, à quo, si oraculum accepisses, te aliquando interfectum iri? Ibi Iason nihil mali, neque suspicans, neque periculi cogitans, incautè quasi subridens respondit: Ego mitterem illum in Colchidem, ad rapiendum vellus aureum.

Amandatio Iasonis in Colchidem.

Tum Rex aperiens ei oraculum, è vestigio mādatur: vt aut extremum subeat supplicium, aut certè cum exercitu in Colchidem abeat: & ad se vellus illud aureum asportet; certò confidens, eum aut in itinere

periturum casu aliquo: aut fyrtibus, & scopulis, in mari absorptum iri: aut certè à Dracone illo, & igniuomis tauris, (qui custodire dicebantur vellus) discerptum atque absumptum iri.

Iason itaque cum Regis voluntati atque mandato resistere nō posset, sese itineri accingit: & diuino Palladis instinctu, magnam nauim, quā Argo vocat, fabricandā curat: eāq; lectissimis ex tota Græcia Principibus ac Heroibus cōplet, inter quos præcipui numerātur à scriptoribus, Acastus, Admetus, Amphiō, Hercules, Iphiclus, Laocoon, Orpheus, Peleus, & alii complures. Vates etiam, & sacerdotes primarii adiuncti erant: Amphiaraus, Mopsus, Idmon, & alii, qui rebus diuinis præessent, suisq; cū precibus, tum Religionis cultu Deos placarēt: quò varios casus, aquarum fluctus, procellas maris, vētorumq; turbines, & tempestates, diuino numine aspirante, facilius superare possent. Cū igitur iam classe instructa & paratis Ducibus, portu soluissent; variasq; cum Insulas, tum oras præternauigarent: multos etiam scopulos, fyrtes, & loca periculosisima præterueherentur: tandem circa Myliam in summo discrimine versati sunt: ita, vt naufragium penè fecissent, nisi Hercules tam strenuè laborasset, vt etiam remos suos perfregerit: cæteriq; socii succenturiati, suis sudoribus difficultatem pelagi superassent. Exantlatis igitur infandis la-

Argonau-
ta.

Iason.

Principes
Græciæ.

Sacerdo-
tes Græci.

Hercules
ad Myliā.

boribus, tandem ad littus circa Mysiam appulerunt,
Hercules à socijs in sylua relictus. vbi egressus Hercules è naui in syluam, ad reficien-
dos remos suos: paulò verò diutius moratus in sylua:
rerum quippe terrestrium voluptate detentus, à so-
cijs, inter im discedentibus, solus ibi relictus fuit. Cæ-
teri verò intenti navigationi, tandem secundo vento
atq; cursu, in terram Colchorum feliciter delati sunt;
vbi è naui egressi, ad urbem Colchidem, & ad arcem
Aetes Rex Colchorū. Regis Aetæ contendunt. Rex igitur de ipsorum ad-
uentu certior factus, magno cum comitatu illis ob-
uiam procedens, liberaliter eos excipit, & omni ex-
hibito honore regio, in aulam secum deducere di-
gnatur. Cum autem mœnia arcis iam penetrassent: in
Hortus seu viridariū Regis. hortum, seu viridarium quoddam deducti sunt, om-
nis generis floribus, herbis, arboribus fragrantissi-
mum: & aspectu, odoratuq; iucundissimum. In quo
Tres fontes in viridario. præter cætera visu digna atq; admiranda, etiam tres
fontes conspiciebantur, varijs riuulis, per virida-
rium illud deducti: quorum primus quidem LACTE
I. Lactē fluebat. fluebat candidissimo & dulcissimo: eumq; tres vir-
gines, dissimili tamen habitu, circumstabant, potu &
cibo excipientes, primum aduentantes lacteo. Se-
II. Vinore-undabat. cundus verò, paululum ab hoc remotior qui aberat,
VINO redundabat: ad quem rursus alia ornatiores,
& pulchriores assistebant virgines, VINO excipien-
tes hospites ex fonte illo præstantissimo. Tertius
denique

denique ex editiore loco demanans, OLEO fluebat III.
optimo ac preciosissimo: ad quem rursus alia tres
conspiciebantur versari virgines splendidissimæ at-
que ornatissimæ: quæ accedentes ex flumine asper-
gebant, oleo fragrantissimo: vt quocunq; sese deinde
verterent, aut quodcunq; ingrederentur penetrare,
secum odorem inferrent gratissimum atq; suauissi-
mum.

Ab his porrò digressi, cùm ad aulam magis
contenderent regiam: in medio propè viridarii, Ili-
cem quandam, seu quercum, procul conspiciunt viri-
dem, de cuius ramis AUREVM illud dependebat arie-
tis VELLVS fulgentissimum. ad quam, cum propius
accedere cuperent, eccè subitò ex vna parte, sub
quercu in altum sese erigit horribilis DRACO ignitis Draco.
oculis, stupenda magnitudine, insonnis, & vultu tru-
ci planè formidabilis. Ex altera verò parte, astantes
cernuntur TAVRI IGNIVOMI, qui flâmas è naribus Tauri i-
gniuomi.
spirabant, omnesq; accessu prohibebant eos, qui vel
manu VELLVS attingere conarètur sordidâ: aut cer-
tè vi, & dolis palàm illud, & hostiliter auferre. Qui-
bus visis, obstupefactus sanè IASON: anxio erat ani-
mo, & vehementer dubio, sollicitè cogitans: quomo-
do EO potiri posset VELLERE: aut id secum asporta-
re in patriam. Veruntamen, quantum quidem pote-
rat, dissimulans moerorem, ac metum suum, cum Re-

IASONIS ge tandem aulam ingressus, conuiuioq; Regio exce-
Verecun- ptus, tantam præ se ferebat inter epulandum, vere-
dia in au- cundiam: tantam modestiam, prudentiam, ac morum
la. MEDEA suauitatem: vt MEDEA, Regis filia, honesto erga ip-
Regis Col- sum accensa amore, seorsim clam ei promitteret: se
chorum quicquid petiturus esset, effecturam: vt impetrare
filia. posset: si honesto sibi iungi vellet connubio. Vbi IAS-
SON omnem honorem modestè præfatus, suumq; er-
ga filiam animum declarans castum: tandem post
longum sermonem, AVREVM illud VELLVS petere cœ-

IASON pit. MEDEA igitur, Veneris Dex instinctu, mox ar-
ope & ar- te pharmacon preparat: quo effecit, vt Draco ille
te Medea insomnis sopiretur: & tauri illi igniuomi, quieti sese
potitur darent, omnesq; suos continerent ignitos spiritus:
vellere au ita, vt IASON, à MEDEA adiutus, non solùm VELLVS
reo. illud AVREVM à quercu sine labore tolleret: sed etiã
Regis filiam, è Colchis secum felici, & secundo cursu
in patriam abduceret.

*Conclusio
ad Audi-
tores*

Hæc quidem, Illustrissimi principes: Illustres,
ac Generosi Comites, atque Barones, ceteriq; Audi-
tores Amplis: ac humanissimi: fabulosa videntur &
ridicula: neque fortasse satis digna tam Illustrissimo,
Illustri, ac Magnifico confessu Amplissimorum ho-
minum: veruntamen, si ea æquiore paulò perpèn-
dere trutina, nec foris tantùm: aut quasi per transen-
nam intueri: sed penitus introspicere oculis MENTIS
volumus:

volumus: depræhendemus sanè, sub his latere ab-
sconditas res summas, atque maximas. Quemadmo-
dum enim olim Aegyptii, diuina sua mysteria Hiero-
glyphicis includere soliti sunt: ita etiam Poetae Græ-
ci, humanæ sapientiæ arcana, fabularum integumen-
tis inuoluere consueuerunt: non, vt ea obscurarent
magis (quæ per se abstrusa sunt, & recondita) sed vt
eorum animos, qui vero Sapientiæ amore & studio
tenerentur, ad inquirendum excitarent magis: igna-
uos verò propter labores arcerent longius: Ita et-
iam non dubium est, quin veteres Poetae aliquid ma-
gni ac præclari, hac ipsa significare voluerint fabula.
De qua, tametsi fortassè haberem, Audire: quæ dicere
possem, satis copiosè & probabiliter: Tamen quia
sic placuit Præceptori nostro Venerando: vt partes
huius Orationis inter nos diuisas haberemus: malo
tibi nunc, Commilito Optime, ac Nobilissime, Si-
MON A BRUMBACH, illud interpretandi officium
committere: quàm vel verbosiore oratione his,
qui me tam diu, Clementissimè Clemen-
terq; audiuerunt, vel tædium ad-
ferre, vel molestiam pa-
rere. DIXI.

Secunda pars Orationis,
DE INTERPRETATIONE AVREI
VELLERIS recitata à Nobili adolescente: IOANNE
SIMONE BRUMBACH. &c.

ET si à Præceptoribus meis honorandis: Illustris-
simi Principes, ceteriq; Domini Comites, Baro-
nes: & quotquot adestis ex aliis Ordinibus, viri Am-
plissimi atq; Ornatissimi: non semel, sed sæpius audi-
ui: quid Socrates in Phædro, & Aristoteles in Rhetor-
icis moneat: quippè, nec iuuenis esse, neq; indocti, //
aut imperiti, FABULAS vel comminisci: vel interpre- //
tando easdem explicare aliis: sed prudentis tantum, //
& docti, & senis, multarumq; rerum vsu bene exerci-
tati. Veruntamen, quia non ipse mihi has, tum dicen-
di, tum interpretandi partes sumpsi: sed ab eo mihi
impositas sustineo: cui refragari nefas duxerim: equi-
dem spero, me apud Celsitudines vestras, atque Ma-
gnificentias, facile & veniam, & attentionem conse-
cuturum: præsertim, si non tam meas, quàm aliorum
summorum virorum, doctissimorumq; hominum de
r. hac ipsa fabula interpretationes, in medium breuiter
attulero.

Deregijs
Theauris,
argenti
atq; auri-
fedinis
Colchijs.

Fuerunt ergò initiò, Auditores Ornatissimi: qui
per hoc AVREVM VELLVS, nihil aliud priscos Poë-
tas intellexisse censuerunt, quàm regnum illud opu-
lentissi-

lentissimum Regis Colchici: qui Mercurii, hoc est,
DEI, gratia & benedictione tot in sua habuerit re-
gione auri, argentiq; fodinas, vt omnibus cæteris Re-
gibus, & diuitiis, & opibus, & thesauris longè ante-
celluerit: ac propterea etiam multos habuerit, qui
terrâ, mariq; huic regno insidiarentur: quò id aut do-
lis, aut vi, aut ferro, & armis occupare, atque ad se
transferre possent.

Neq; verò tam absurda hæc, aut à vero aliena vi-
sa est sententia: cùm certum sit ex historiarum monu-
mentis, regionem illam Colchicam, tam diuitem fuisse
venis metallicis, ac vberem: vt (Strabone teste) sæ-
pè militaribus expeditionibus, ac bellicis tumultibus
occasionem præbuerit. Neque ignoramus ipsi, sed
quotidianà (proh dolor) docemur experientiâ:
quantis hostium telis: quantis bellorum motibus:
quantis insidiarum cuniculis, exposita sint Regna
potentissima, & florentissima Republicæ: vt perui-
gili sanè in iis custodiendis, opus sit DRACONE, &
multis sæpè TAVRIS IGNIVOMIS, qui hostium in-
fultus à finibus ipsorum arceant: incursiones prohi-
beant; nè aut patriæ damnum inferant: aut certè in
extremum eandem discrimen coniiciant.

Fuerunt deinde alii, qui per hanc Iasonis expedi-
tionem & VELLVS, non diuitias, non opes, non re-
gna opulenta: sed summam summorum Principum

*De Prin-
cipum cõ-
spiratione
& concor-
dia.*

ac Procerum intelligendam esse putarunt conspira-
tionem atque concordiam: quâ nihil existimatur in
Imperiis firmitus: nihil arctius: nihil coniunctius: ni-
hil, quod minus ferro frangi, debilitariq; armis pos-
sit. In qua sententia haud incredibile est, etiam lau-
datissimum illum quondam fuisse Principem ac Du-
cem Philippum Burgundiae: qui proculdubio hac ex-
citatus Iasonis expeditione Argonautica, PRIMVS,
post natum Christum, Anno 1429 Nobilissimum
illum, & celebratissimum Ordinem Equestrem AV-
REI VELLERIS instituit: in eumque circiter 30.
Nobilissimos asciuit Heroes & Proceres: quos sin-
gulos insigniuit splendore TORQVIS AVREI, in
quo igniarii illius multiplicati tota torque, & filicis
ostenditur symbolum, VELLVSQVE AVREVM
in pectus excurrentes: haud dubiè in eum finem, vt
Libertatis patriæ, tranquillitatis Ecclesiæ, & Rei-
pub. incolumitatis indissolubile esset vinculum: &
arctissimus nexus perpetuæ Virtutis, ac Pietatis erga
Ecclesiam: cuius ita studiosus Princeps ille fuisse scri-
bitur: vt etiam BONI cognomentum meruerit. Ne-
que verò illius rei nobis deesse potest testimonium:
epigramma illud, quod adhuc in ipsius Principis legi
fertur Epitaphio:

Tuta à Nobilibus, quò Ecclesia firmior esset:

Nobilis inuentus VELLERIS ORDO mihi est.

At

At verò hæc Amplissima, Nobilissimaq; Socie-
tas non tantùm inuenta atque instituta est à lauda-
tissimo hoc Principe: sed idem postea Ordo, maiore
cum solennitate, & splendore renouatus dicitur ab
inuietissimo Imperatore CAROLO QVINTO eius
nominis: qui anno supra millesimum quingentesi-
mum (vt quidam referunt) quadragesimo quinto, 1545.
multis cùm Ducibus, tùm Viris Principibus Ger-
mania, Gallia, Austria, Polonia, Vngaria, cætera-
rumq; nationum Proceribus confirmauit, adauxit,
& illustrauit: vt perpetuum quasi esset propugnacu-
lum PATRIÆ, ac munimentum aduersus omnes, o-
mniū Barbarorum hostium incursiones atque im-
petus.

Præclarum fanè, ac nunquam satis laudatum Im-
peratoris institutum atque consilium: quod, quàm
diu duraturum credebatur, tam diu etiam Imperium
habiturum videbatur contra externos hostes & Bar-
baros, præsidium insuperabile. Quid enim fortius
est, quàm virorum Principum concordia? quid va-
lidius, quàm Regum, & Imperatorum fida conso-
ciatio atque conspiratio? cui nihil potest esse tam fir-
mum: nihil tam arduum: nihil tam benè clausum,
atque custoditum: quod non, exemplo Argonauta-
rum penetrari, superari, aut certè imminui possit, at-
que debilitari coniunctis viribus.

Fuerunt

III. De
Medicorū
Chymica
arte &
Spagyri-
ca.

Fuerunt præterea alii, qui hoc VELLVS Iasonis, de
summa illa & celissima parte interpretati sunt, artis
Medicæ : quam Chymicam artem hodie vocant, &
Spagyricam : qua incurabiles, & planè desperati
morbi curari traduntur, cuiusmodi numerantur, Le-
pra, hydrops, podagra, epilepsia, paralytis, calculus,
apoplexia, pleuritis, & similes. Cùm enim IASON Me-
dicum significet: ab ἰάομαι sano, curo : isq; in iuuentu-
te Chironi traditus perhibeatur ad discendam artem
Medicam: eò scientiæ peruenisse creditur: vt abditif-
sima illius artis mysteria, in vellere arietis præparato,
AVREIS LITERIS consignârit, atque Colchis reli-
querit.

Neque id mirum sanè videri poterit, aut incredi-
bile: cùm certum sit, Veteres non chartis, aut papyro,
sed vel arborum corticibus, vel animalium pellibus,
piscium etiam, & similibus integumentis, in suis scri-
ptionibus sæpè vfos esse. Quid? quòd historiæ testan-
tur, etiam Constantinopoli, cùm adhuc totius terra-

Homeri rum Imperii ibi esset sedes atque domicilium, in in-
opera Cō- structissima illa Bibliotheca, in qua δωδεκα μυριαδες βιβ-
stantino- βλίων, hoc est, duodecies dena millia volumina libro-
poli. rum fuerunt: intestinum quoddam reconditum fuis-
se Draconis, centum & viginti pedum, in quo Ho-
meri poemata, tam Ilias, quàm Odyssæa, AVREIS in-
scripta fuerint LITERIS. Adeò curiosa, & diligens in
asser-

asseruandis Poetarum monumentis olim sancta fuit
Antiquitas. Quid igitur mirum, etiam si hæc quoq;
tam sublimis, & arcana scientia medendi, aut ouicu-
læ, aut arietis VELLERI inscripta, atque asseruata,
fuerit à quibusdam credita?

Sed fuerunt alia etiam, aliorum de hoc ipso VEL-

LERE opiniones atq; sententiæ: quas, si omnes hoc
in loco: Auditores: interpretando persequi velle-
mus: non solum tempus ipsum nos facile deficeret:
sed ne opportunum quidem, aut huic loco satis aptum
iudicari posset, atque conueniens. Ideoque vnam
adhuc huius Fabulæ interpretationem, quam com-
modissimam huic nostro Ordini existimo, superesse
video: quam, vt TV, Studiose adolescens, MELCHIOR
IUNI, qui primas ex hoc ordine nostro tenuisti, de
Præceptoris nostri voluntate, & iussu, breuiter ex-
ponas hortor, atque iubeo. DIXI.

III.
Aliorum
opiniones
per ἀπο-
λόγην.

Tertia pars

DE VELLERE AVREO SCHOLASTICO: recitata à MELCHIORE IUNIO,
Magnifici D. Rectoris filio.

Nisi me, Illustrissimi Principes, Illustres, ac Ge-
nerosi Comites & Barones: Nobilissimi, ac
Amplissimi D.D. Scholarchæ: cæteri q; Auditores,

C omni

omni virtute, doctrina, prudentia, pietateq; prestan-
tissimi: Præceptorum meorum huc impelleret ob-
seruantia, atque authoritas: condiscipuliq; ipsorum
nomine facta prouocatio: eius profectò à natura
essem verecundiæ: pudoris: ac continentia: vt hu-
ius loci auctoritatem atque amplitudinem nunquam
ausus fuisssem contingere. Video enim quid Celsitu-
dinum vestrarum, aures literatæ ac prudentes desi-
derent: animaduerto, quid amplissimorum Domi-
norum Scholarum dignitas postulet: nec nõ ob-
scure sentio, quid vniuersa hæc Doctissimorum, Pru-
dentissimorumq; hominũ corona expectet. Verun-
tamen, quia eandem cum Condiscipulis meis ex hoc
loco dicendi causam me habere intelligitis: equidem
spero, me eandem etiam apud Celsitudinem vestrã,
& Magnificentiam, veniam, & audiendi studium im-
petraturum esse. Quod cum certò mihi persuasum
habeam: conabor sanè id, propter quod tota hæc
producta videtur Fabula, paucis absoluere.

Nam tametsi nec absurde omninò: nec impuden-
ter cogitarint hi, quorum sententias ante me exposu-
it Condiscipulus: tamen vnum adhuc superest ge-
nus hominum, quod VELLVS hoc AVRE M nostro ac-
commodare non dubitauit Ordini Scholastico: &
per illud aliud nihil intelligendum esse contendit:
quàm AVRE M illam, hoc est, veram doctrinam, & di-

uinam Sapientiam, quam Colchica olim gens ab Aegyptiis accepisse legitur. quam dum vigilantia & laboribus contra Barbaros custodiuit: tamdiu etiam Regnum habuit felix ac florentissimum. Quàmprimum verò sese foecordiae & sopori dedidit: eamque paulò tutata est remissius: non modò doctrina: sed etiam Regno miserè exuta est.

Cui sententia, quin etiam nos omnes, qui in Scholis & Academiis versamur, doctrinae comparandae causa, ad stipulemur, quid prohibeat, nō video. Quid enim Colchidem hodiè dicemus aliud, quàm talem *Colchis.* urbem, in qua AVREA REGIA, hoc est, arx Palladis, seu Academia celebris rectè ac prudenter constituta est? in qua AVREVM VELLVS, verae doctrinae & Sapientiae quotidiè panditur, hoc est, explicatur, docetur, illustratur: & omnibus cum Nobilibus, tum ignobilibus: tam diuitibus, quàm pauperibus, publicè, privatimq; discenda proponitur. Ad quam tot quotidiè ex variis & longinquis oris proficiscuntur Duces ac Imperatores, hoc est, Illustres, Generosi, Nobiles, & honestissimorum parentum liberi ac Adolescentes Studiosi: & proficiscuntur ex tam remotis & procul disitis regionibus, tot cum laboribus, tot sumptibus, tot periculis, tot discriminib. vite & fortunarum suarum: vt sapè remos frangere necesse habeant: antequàm ad portum, h. e. ad exoptatam & cōmodam sibi deferri possint Academiam.

Syrtes.

Quid enim SYRTEs illas & scopulos, quos præternavigasse Argonautas audiimus, aliud fuisse existimamus, quàm labores, quàm tædia, quàm molestias: quas sustinere necesse habent omnes, qui in hoc literarum nauigio atque curriculo artium bonarum versantur? Aut quid VIRIDARIUM illud, in quo saluberrimi isti fontes scaturiunt, aliud credimus, quàm Gymnasium & Scholam, in quam omnium liberalium artium redundant flumina? Nonne LACTEVS ille fons, qui primus ostenditur aduentantibus à tribus illis Virginibus: Logicarum artium representant scaturiginem ac primordium? Quemadmodum enim LAC dulce est, ac digestu facile, & ad nutriendum idoneum: illisq; primùm præberi solet, qui solidiore nondum vesci possunt cibario: ita teneri discantium animi initio imbuendi sunt, & nutricandi leuioribus illis Logicarum artium cibus ac præceptionibus: quas trinx illæ Virgines, dissimili habitu adstantes, haud dubiè denotant: quarum nuda prima apparebat & malicenta adhuc, GRAMMATICA: altera verò amictu circumdata corpulentior & pinguior, DIALECTICA: tertia denique ornata magis, & formosior, RHETORICA.

II. Fons Vini.

Secundus verò, qui VINO fluere dicitur: nonne superiores significare videtur, Ethicorum, Physicorum, & Mathematicorum disciplinas? Quemadmodum

dum enim VINVM modicè sumptum, vires addit
corpori: animum & cor roborat: spiritus viuificat:
eosq; subtiliores efficit: Ita etiã hæ sublimiores Ma-
thematicorum artes, & Naturæ ac Morum discipli-
næ, Studioforum Adolescentum ingenia magis fir-
mant: iudicia acuunt: memoriam augent: & ad sum-
mas illas Facultates præparant.

Tertius denique, qui OLEO manat: quid aliud III. Fons
Olei.
notat, quàm tres illas summas FACULTATES S. S.
Theologiæ: sapientissimæ Iurisprudentiæ: & salu-
berrimæ artis Medicæ? Vt enim OLEVM non so-
lùm ad medicamenta est aptissimum: & ad condi-
menta ciborum valet plurimùm, quibus frequenter
vsi fuerunt Veteres: sed etiam vsus eius præcipuus
erat in vngendis Athletarum corporibus: quò in pa-
læstris & certaminibus agiliores essent, & expeditio-
res: ita etiam HIS, qui iniuncti sunt, FACULTATIBVS,
ad omnia munera cùm Reipub. tùm Ecclesiæ: Scho-
læ etiam: atque adeò totius Vitæ humanæ obeunda,
promptiores, aptiores, & paratiores euadunt.

Sed agite, accedamus nunc ad DRACONEM illũ, & Draco.
ad TAVROS illos, qui perpetuis flammis atq; vigiliis
hoc custodire dicuntur VELLVS AVREVM. Quid
eos aliud esse putamus? quàm honestissimas Magi-
stratus nostri Leges, & Disciplinæ seueritatem? quæ
custos esse debet omnis veræ doctrinæ, & laudabilis

Sapientia? Vbi enim hæ sopita iacēt; vbi dormitant;
vbi conquiescunt; aut flammæ suas spirare desinunt;
ibi facillè cuiuis licebit hoc VELLE, aut petulanter
auellere; aut turpibus conspurcare flagitiis; aut cer-
tè omninò expilare, atque è medio tollere. Ideòque

*Tauri igni
uomi.*

rectè sanè ac meritò ei adiuncti sunt TAVRI igniuo-
mi: vt vim suam Leges exerant: petulantes, ac impro-
bos profligent: obtemperantes verò, & morigeros
tutos præstent, atque præmiis afficiant.

*Aula Re-
gis.*

Ingrediamur etiam nunc, si placet, in aulam ipsam:
& quid humanitas Regis AETÆ nos moneat: quid
IASONIS amabilis verecundia: quid MEDEÆ amor
erga Iasonem accensus per Venerem, videamus. bre-
uiter. Quid enim Rex Aætēs præ se fert aliud, quàm

*Rex Aæ-
tes.*

perpetuam Magistratus erga literatos humanitatem,
benevolentiam, promptitudinem, ac beneficentiam?
qui exteros tam honorificè & humaniter excipit: qui
hospitia præbet: qui in tutelam & patrocinium eos-
dem suscipit: qui artes ac disciplinas communicat:
qui in omnibus honestis officiis eos in tuto collocat?

Iason.

Quid IASONIS contrà verecundia? nōne de ho-
spitum nos monet gratitudine, modestia, temperan-
tia? vt cum Ciuibus amicè: cum Collegis concordi-
diter: cum omnibus pacatè, verecundè, modestè,
ac castè viuant, atque conuersentur? Quid ME-
DEÆ, nisi ingeniorum innuit solertiam? quæ vbi se-

Medea.

mel

mel VENERE, hoc est, vero amore erga honestas *Venus.*
literas accensa fuerit, facile animos discentium, omni
Sapientia, solida doctrina, virtute, eruditione, atq;
pietate inflammare poterit.

Et certè, Auditores, ne omnia ad viuum refecare *Accommo-*
videamur: ad hanc ipsam Nos, in qua versamur, *datio ad*
nunc conuertamus Academiam. Quid aliud in hac *nostram*
vrbe habemus, nisi veram illam Colchidem? ad *Vrbem &*
quam tot omnium Ordinum confluxerunt hactenus, *Academi-*
& adhuc quotidie confluunt doctrinae causa, *am.*
Illustrissimi Principes: Comites & Barones Illu-
stres ac Generosi: Nobiles tot, & Patricii: omnisq;
generis Studiosi Adolescentes honestissimi, atque
probatissimi.

Vidit hæc SCHOLA NOSTRA ante annos *PRINCI-*
quadraginta ferè quatuor: Illustris. ac literatis. *PES.*
Principem, ac Ducem, D. WILHELMVM LAND- *1.*
GRAVIUM Hafsia: & vidit eum summa cum Or-
dinis Scholastici lætitia: & totius Urbis voluptate,
ac gaudio. Vidit etiam ante pauciores annos ex re- *2.*
motissima terra Illustris. Principem ac Dominum,
D. NICOLAVM RADSIVVILLIVM, Du-
cem Lituania: Vidit post, Illustrissimum Prin-
cipem, & Dominum, D. OTHONEM HEN- *3.*
RICVM Ducem Brunsvicensium & Luneburgen-
sum. Vidit Illustris. Principem, ac Dominum,
D. IACO-

4. D. IACOBVM Marchionem Badensem, Dominum in Hochburg; & eiusdem deinde fratrem D. GEOR-
5. GIVM FRIDERICVM. Vidit Illustris. Principem
6. D. GVILIELMVM ROBERTVM Ducem Bullio-
7. nium, cum fratre IOANNE Comite Marcano. Vidit
8. Illustrissimos Principes ac Dominos D. FRIDERI-
9. CVM ET PHILIPPVM, Duces Holsatia. Vidit Il-
10. lustris. Principem ac Dominum D. IOANNEM SI-
11. GISMVNDVM Marchionem Brandenburgensem.
12. Vidit Illustris. Principes ac Dominos D. IVLIVM
13. ERNESTVM ET FRANCISCVM, Duces Brunsvi-
14. censes ac Luneburgenses. Videt adhuc, (& utinam
15. div saluos, ac incolumes videat) praesentes: Illustris.
16. Principem ac Dominum IOAN. GEORGIUM Mar-
17. chionem Brandenburgensem: Illustris. Principem
18. ac Dominum, D. IOACHIMVM CAROLVM, Du-
19. cem Brunsvicensium & Luneburgensium. Illustris.
20. Principem, ac Dominum, D. OTHONEM, Ducem
21. itidem Brunsvicensium ac Luneburgensium.

Comites,
& Baro-
nes.

Quot verò Illustres. ac Generosos D. Comites ac Barones? quot Nobiles, & Patricios ab anno hinc trigesimo octavo, vsque ad hunc ipsum diem vidisse putamus? Equidem hoc certò ex fastis Academiae nostrae affirmare ausim: ab anno LXXVIII. quo Aca-
DEMIA NOSTRA est instituta, ad hoc vsq; tempus, Studiorū hic vixisse gratia, Comites sexaginta duos:

Baro-

93.
10002

Barones nonaginta tres: Nobiles verò, & Patricios
ultra mille: vt de reliqua Studioforum turba, ac mul-
titudine: quæ hac in Colchide versata fuit, propè in-
numerabilis, nihil iam dicam. In quam enim, quæso
vos Auditores, oram, aut regionem? in quam Eccle-
siam, Rempub. aut Academiam Germaniæ hodie sese
cōuertet quis? in qua non repererit: qui aut HVIVS ali-
quando COLCHIDIS fuerint incolæ: aut de hoc AV-
REO participarint VELLERE Scholastico? cuius si-
gnum etli non ante pectus gerunt pendulum: tamen
in mente impressum habent, & perpetuâ custodiunt
memoriâ.

O beatam igitur hanc Colchidem: in qua DEVS
tam pretiosum veræ Doctrinæ, ac diuinæ Sapientiæ
fixit VELLVS AVREVM. O felices ac fortunatos
vos Nobiliss. ac Ampliss. D. SCHOLARCHAS: Ad D. Scho-
larchas.
quibus tantus non solum doctrinæ, sed Iuuentutis
egregiæ, thesaurus est concreditus. Respicite enim,
quæso vos, ad Illustriss. hos, quos præsentem habe-
mus Principes D.D. meos Clementissimos. Intue-
mini in Comites illos Illustriss. ac Barones inclytos:
conuertite oculos vestros ad vniuersam hanc Stu-
diosæ Iuuentutis multitudinem: & cogitate, quàm
chara VOBIS præclarissimorum parentum commissa
sint καὶνδία, & pignora: quàm multorum sustineatis
absentium vota & suspiria: quàm largas excipiatis

D pro

pro iis, parentum lachrymas: quorū hīc vultus, ora,
oculos & facies Angelicas, conuersas videtis in v o s
s o l o s tanquam Patronos suos: desiderantes ni-
mirum: vt per v o s, etiam h v i v s sibi liceat sanæ
Doctrinæ, ac puræ Religionis, participes fieri a v-
r e i v e l l e r i s Academicis.

*Commen-
datio vel-
leris aurei
ad D. Scho-
larchas.*

Quamobrem nunc meritò ea, quā par est, v o s
Nobilissimos, Amplissimosq; D. Scholarchas, & cæ-
teros, qui ex Magistratu adestis, Viros Prudentissi-
mos, submissè rogamus: vt quemadmodū haftenus
semper fideliter, ac paternè: Ita etiam imposterūm
huius vestræ Colchidis, curam suscipiatis diligenter:
excolatis hanc Aulam vestram Academicam: custo-
diatis v e l l v s h o c a v r e v m: vt in m v l t o s propagari
possit posteros: & cogitetis, quandiu hoc v e l l v s
retinueritis in Horto vestro: tādū Vos superaturos
omnes omnium mortalium diuitias, opes, & poten-
tiam. Vbi verò (quod D e v s auertat, ac prohibeat)
h o c amissum fuerit, aut deprauatum v e l l v s D o-
ctrinæ: tū cogitate actum iri de vestris diuitiis: actum
iri de thesauris vestræ Reip: actum iri de Ecclesiarum
patrimonio: actum denique iri, de salute & incolu-
mitate dulcissimæ Patriæ.

*Troianorū
Palladiū.*

Creditum hoc fuit olim à Troianis Ciuibus: quan-
diu in vrbe sua, haberent signum Palladis, quod PAL-
LADIUM appellabant: tamdiu Troiam expugnari à
Græcis,

Gracis, aut eueri nō posse: quantō magis hoc vobis
statuendum erit atq̄ credendum: quāndiu hoc VEL-
LVS AVREVM sanæ Doctrinæ, sartū tectumq̄ custodi-
ueritis; tam diu saluam fore, & florentem vestram
REMPVB. intactam atque felicem ECCLESIAM: inuiol-
latam, ac gloriosam hanc ipsam permanfuram A C A-
DEMIAM.

Vos autem Illustrissimi Principes, Generosi AdPrinci-
pes & Ge-
nerosos.
Comites, ac Barones: qui magnis itineribus, sum-
ptibus non paruis, periculis minimè contemnen-
dis, ad hanc profecti estis Academiam: eamque in-
gressi summa cum laude, honore, gloria, & celebri-
tate vestri nominis. Vos (inquam) similiter eā,
quā decet, subiectione animi rogamus: vt hanc
Colchidem ea, qua complexi semel estis Clemen-
tia, Clementissimè, Clementerq̄ porrò prosequi, or-
nare, augere, illustrare, ac celebriorem reddere di-
gnemini. VESTRA enim hæc laus erit & gloria:
vester hic honos atque Elogium: vestrum hoc no-
men perpetuum, atque illustre apud cunctos erit
ἀκρόαμα: quod nulla vnquā neque delebit ætas: ne-
que apud Iuuentutem hanc Studiosam vlla obscura-
bit obliuio.

A Vobis autem, diuini Vates, atq̄ administri Ec- Ad D. The-
ologos.
clesiæ Venerandi D. Theologi: qui in eādē Argo-
navi ad hanc appulistis Colchidem: à vobis (inquā)

reuerenter petimus: vt curæ habeatis vobis hanc ipsam Colchidem: vt diuini Verbi eam præconio foueatis: vt salutaribus precibus: & ominibus faustis, atque secundis eandem prosequamini: quò non tantùm VELLERE hoc frui possimus humanæ Sapientia: sed diuinæ etiam, ac veræ Religionis, atque æternæ salutis degustare mysteria. Hæc enim vera demùm, & beata illa Colchis erit: hoc verum illud VELLVS erit, & plus quàm aureum: cùm doctrina nostra, veræ Religionis, & Pietatis tincta fuerit cultu, atque notitia.

*Ad Profes-
sores &
Præcepto-
res.*

Similiter etiam vos, qui fontibus illis præestis, Ephoros, Professores, ac Præceptores rogamus doctissimos: vt operam detis: ne fluminum optimarum artium atque disciplinarum obstruantur scaturigines: ne LAC illud doctrinæ Logicæ dulcissimum amarescat: aut VINVM superiorum artium languidum fiat, aut acescat sapidissimum: ne murca supremarum resideat in fonte Facultatum OLEI: sed vt liquidè omnia fluant, & ad nostros etiam demanent posteros.

Ad Studiosos.

Vos denique Studiosos Adolescentes, & Condiscipulos optimos hortor: qui in eadē mecum estis expeditione Argonautica: vt VELLVS hoc magni faciatis AUREVM: & imitati Iasonis socios, primùm VOS LACTE benè pasci sinatis. Nisi enim ex hoc fonte lar-

te largè, copiosèq; biberitis: nunquam de fonte VINI quicquam gustare poteritis salubriter: neque supremarum Facultatum OLEO perfundi fragrantissimo. Cogitate quæso: multos vobis scopulos præcurrentos esse: & multas superandas Syrtes, antequam contingat vobis AUREVM illud VELLVS aspicere.

Mementote etiam, multas vobis Syrenas præternavigandas esse: atque idcirco imitandum Orpheum illum Argonautarum socium: qui Musica tam suauiter cecinit: vt nemo sociorum Syrenum cantus exaudierit: Sic vobis etiam multæ vincendæ erunt, voluptates corporis, bonarum artium dulcedine: & linguarū crebro vsu & suauitate: donec cursum perfeceritis navigationis, & summarum Facultatum ingressi fueritis Viridarium. Reuocate vobis in memoriam HERCVLIS periculum: qui licet *Herculis periculū.* strenuè laborasset ad Mysiam vsque: tamen postea in sylua cunctatus paulò longius, intentus quippè rebus voluptuariis: relictus à sociis AUREO certè VELLERE priuatus est: Idem ne vobis eueniat: nihil sanè cunctandum erit: nihil tribuendum rebus ludicris: nihil voluptatibus dandum: nihil differendum diutius: ne à Musis deserti, regio excludamini horto atque viridario.

Ingressi verò in Hortum, reformidate quæso,

Draconem, & Taurus illos Igniuomos, hoc est, Le-
ges summa cum seueritate latas à Magistratu nostræ
Academiæ: nolite eas temerè aspernari, aut conte-
mnere contumaciter: sed CVSTODES esse putate,
veræ Doctrinæ, & perfectæ Sapientiæ. Intromissi
denique in Aulam ipsam Regiam: imitemini quæso
IASONIS verecundiam: sequimini eiusdem obser-
uantiam, cum erga Magistratum, tum Præceptores
vestros: estote casti in dictis & factis: vt MEDEA
vestra, hoc est, ingenium, vera accendatur Venere
& amore erga literarum Studia: & feliciter, tandem
auferre valeatis, veræ PIETATIS, & solidæ DOCTRI-
NÆ Vellus Aureum.

1637.

Quod, vt nobis omnibus fœliciter, & ex voto
contingat: te, summe IESV, qui verus IASONES, &
Medicus, & Seruator totius generis humani,
nunc quanta possumus, voce supplice
rogamus, atq; obtestamur.

DIXI.

GRA-

GRATIA
à Studio

Ergo sec
Nunc f

Arma senis

AVREA, P

VELLVS OR

Fertur. su

Optandi

Agmine

Vela dan

Et valid

Non tam

Possum

Ergo

Quid plu

Quo ve m

Expedi

Tu

Verbor

At v

LVM

Ore fau

Qui

Æquor

GRATIARVM ACTIO, RECITATA

à Studioſo Adoleſcente, QUIRINO KNO-
GLERO, Auſtriaco.

Ergò ſecanda Maris, Iuuenes, vada: cerula Ponti *Exordiū
ex abru-
pto.*

Nunc ſulcanda via eſt: nunc ſunt peraranda furentis
Arua ſenis Nerei: quærenda ſCIENTIA nobis

AVREA, Phryxæ veluti Pagæſæus IASON

VELLVS ouis maris Ionij quæſiſſe per vndas.

Fertur. ſunt auræ faciles, ventiꝫ ferentes

Optandi: cupimus ſi fixam tangere metam.

Agmine non magno, magna ſtipante caterua

Vela damus læti: vocat humida carbaſus auras,

Et validæ in lento luçtantur marmore tonſæ:

Non tamen hîc omnes, rate qui veçtamur eâdem;

Poſſumus optatum votis apprehendere portum.

Ergò quid impediât, quid nos remoretur ab iſto;

Quid plures trahat auerſos, quid cœpta retardet.

Quo ve modo poſſis tantos ſuperare labores;

Expeditam paucis, factôꝫ hîc fine quieſcam.

Tu pater Aſtripotens ſuperas mihi ſuffice vires,

Verborum grauitas da rebus conſonet iſtis.

At vos intereâ noſtri præclara Lycæi

LVMINA: Tuꝫ SCHOLÆ celebris veneranda carina;

Ore fauete omnes, facilesꝫ aduertite mentes.

Qui placidis cupiunt aquilonibus ire per alta

Æquora: qui tumido tutò ſe credere Ponto:

Propoſitio.
Inuocatio.
Narratio.
quib. opus.
Gaudent.

habeant
Nauiga-
turi.

1. Carinâ. Gaudent: Veliuolas PRIMÒ fabricare carinas

Omnes ardor agit. Piceis pars robora syluis

Frondentesq; ferunt ramos: pars fissile lignum

Scindunt: pars aptant remos, & transtra carinis.

Nauarchum quærunt alij, qui Legibus æquis,

2. Nauar-
chis.

Imperio frænetq; Viros: operumq; labores

Partibus his æquet iustis: his cautus habenas

Qui laxare sciat, Nauis qui cuncta gubernet.

Naucleros alij, scrutatoresq; profundi

3. Nau-
clero.

Conducunt: his Remigibus stat cura parandis

Idoneis: terris qui tutò aduertere puppes

4. Remi-
gibus.

Quassatas, dubiisq; sciant succurrere rebus.

Si datur instructa sic æquora currere pinu

II.
Impedi-
mèta Nau-
tarum.

Feruida: TEMPESTAS stimulat, Ventiq; fragores.

Incipit interdum misceri murmure Pontus

Ingenti: hîc Syrtes vrgent: hîc dira Charybdis

1.
Tēpestas.

Insurgit: Vastos tollunt ad littora fluctus

Hîc vento: præsentem intentant æquora mortem.

Sepè furentis aquæ vasto vis corpora Ponto

Disicit: aut scopulis puppes illidit acutis.

Aggere sæpe illas peregrinæ cingit harena.

Sepè hæc cernenti pallentia frigidus horror

Membra quatit: gelidusq; coit formidine sanguis.

Sepè, licet faciles fera sternant æquora venti,

Æquat æq; auræ spirent: & protinus omnis

Grata micet cœli facies: vocet Auster in altum

Æolus:

*Æolus: placideq; ferant vada cærule classem,
Horrendis quæ marmoreus fert plurima Pontus.*

*Quis tutò poterit sese confidere monstris?
Hæc multos retrahunt: hæc cogunt flectere prauos.*

*Sed nos, quæis cursu subeunda tot æquora: celsis
Dum iuuat Aonijs Parnassi visere colles,
Instructi ne sumus? pelagi hos euoluere casus?
Nil ne deest? his magnanimis nil ne officit ausis?
Nil equidem. Vehimur benè structa classe, Lycæum
Nobile dum vehit hoc: non armamenta, nec illi
Ordo deest, non fracta labat, non quassa fatiscit:
Non incerta fluit: dubijs non fluctuat vndis.
Hac tutò plenis exire in marmora velis
Quimus: in optatas isthæc nos deferet oras.*

*Nauarchis fruimur, qui sceptrâ decora Lycæi,
Et fasces gestant æquos, & debita condunt
Iura, Viasq; iubent cæptas decurrere Musas.
Hi misera tristes hac tempestate Camænas
Respiciunt: Nauemq; fouent, remorasq; repellunt.*

*En Naucleus adest fidus, Rectorq; peritus,
Cui furor immensi pelagi, penitusq; reclusi
Æquorei tractus, Myrtoaq; impetus vnda.
Credita Remigibus ratis est, fidisq; Magistris
Qui Vigiles remis noctesq; diesq; fatigant:
Qui strenuè Classem ducunt: qui grauitè omnes
Annixi torquent spumas, ac cærule verrunt.*

2.
Monstra
marina.

III.
Accommo-
datio ad
Studiosos:
quibus in-
structi sint
ipsi ad hæc
Nauiga-
tionem.

1. Carina,
h. e. Scho-
la.

Nauar-
chis, h. e.
Scholar-
chis.

3. Naucle-
ro, h. e.
Rectore.

4. Remi-
gibus, h. e.
Precepto-
ribus,

E

Quin

5. Mari
placido, h.
e. pacc.

Quin aura, facilis, ventisq; facientibus altum

Ingređimur: cæcis olim reparata tenebris

Errorum inter tot ventos, seuasq; procellas

Dum SCHOLA nostra sonat Diuini munera verbi,

Omnia dumq; tremunt bellis, Marsq; impius omni

Orbe furit: gliscit nostris PAX AVREA terris.

Causa im-
pedientes,
quo minus
ad portum
vehantur.

I.

Monstra
Vitiurum.

Ergò quid hîc obstat? cur non contingimus omnes

Portum? cur alij optata prohibentur arena? (fundo

MONSTRA obstant: vitiorum obstant heu monstra: pro-

HÆC multos pelago mergunt: incautius altis

Dum subeunt scopulis: dum blandas auribus illos

Prob haurire iuuat voces, & fallere tempus.

Nautis ad rapidum progressis longius Austrum,

2. Cete, h.
e. Discipli-
ne impa-
tientia.

Sæpius (vt fama est) immanis corpore Cetus

Occurrit: sæuis qui infrendens dentibus, atræ

Dat multos morti, & miseros depascitur artus.

Nõnne his sunt similes, qui dura per auia tendunt,

Executiuntq; iugum, Disciplinaq; feruntur

Extra orbem: vitæq; suæ discrimina ponunt?

Sapè at directo metientibus horrida cursu

Æquora, pisciculus naues retinere ruentes

In medijs Echeneis aquis, agilesq; morari

Remos, & fertur plenum interrumpere cursum.

Hoc cecidit remorante, feris Antonius armis

Belliger: Actiacis strepuere vt cornua cantu

Littoribus: belloq; dedit caua buccina signum.

3. Echeneis
pisciculus,
h. e. Igna-
uia.
Ab exem-
plo Anto-
uq.

Degener

Degener an non sic multos IGNAVIA cursu
E medio retrahit: studijsq; infestat amicis?
Illectos veluti dulci modulamine Vocis
Nautas, Syrenes volucres, Acheloia proles,
Fluctibus Ionjs mergunt: damnosa VOLVPTAS
Sic perdit Iuvenes, sacro qui colle relicto
Parnassi, ILLIVS gaudent succedere Regno.

4. Syrenes
id est, Vo-
luptas.

Hæc sunt assiduis fundenda ferocia bellis
MONSTRA: hæc Pierio sunt discutienda mucrone,
Et cura vigili: Sed QVA RATIONE quis istud
Efficiat: paucis, aduertite quæso, docebo.

II. Pars.
Quomodo
impedi-
mentis il-
lis occur-
rendum.

Turgida qui celeri Neptuni classe pererrant
Arua: manent eadem Fortunæ tela, reposta est
Vna salus cunctis: præceps agit omnia FATVM.
Non digitos ultra nec crassior vlla carina
His quatuor mors tristis abest: lethiq; furentis
Ante oculos errat: semperq; recursat imago.
Hiq; sibi certam soli spondere quietem
Possunt: qui plenis subierunt ostia velis.
Ne qua rates igitur capiant nocumenta: procellas
Ne feriant: saluo sed tangant littora cursu.
Idem omnis labor vnus habet, cura vna remordet.

Cuncti ergò meritos Præfectis nauis honores
Soluunt: imperijs parent, ac iussa faceffunt
Ocyus: & fugiunt si quæ nocitura videntur.
Sed tùm præcipuè, quando vel gurgite ab imo

1.
Honorent
Præfectos.
2.
Mandatis
obediant.
3.
Turpia
Assiliunt fugiant.

3. Turpia
fugiant.
4. Labores
sociant.
5. Deum
orent.

Asiliunt fluctus, it toto turbida cælo
Tempeſtas: rapidi fretaq; indignantia miſcent
Venti: vel dubias inuadunt monſtra carinas.
Agglomerant ſeſe, atq; acres ſociare labores
Expoſcunt. Gnaui verum licet omnia præſtent:
Non tamen in proprio pars nititur vlla labore,
Omnis at in ſolo reſidet ſpes numine, ſoli
Huic fidunt: huic vota & verba precantia fundunt.

De Ethni-
corum
Idolis.

At priſcis equidem Pelagi quot culta fuere
Numina: quot ve Dij cæcis in vota vocati
Neptunus, Nereus, Glaucusq; Inousq; Palemon,
Tritonesq; citi, Melite, Panopæaq; virgo:
Et Nymphæ innumeræ: & quæ non monſtra Deorum?

Papiſtarū
idolola-
tria.

Nunc quoq; Pontificis Romani, cæca libido &
Auri dira fames, quot non iam numina fingit?
Iuonesq;, Luysq; colit, fictosq; Sebaſtos,
Nicoleos (ſcelus infandum) maris ille ſalutat
Chriſtophorosq; Deos, ſuperumq; in ſede reponit,

Quis à No-
bis inuo-
candus.

Fert vota gentilis diſcedite numina turbæ,
Eſt DEVS in Cælis, dubijs ſuccurrere rebus
Qui ſolus nouit, cuius victoria NOSTRAS
Inſignit glorioſa SCHOLAS. Hic ille IEHOVA.
Huius ad imperium tumefacti marmoris vndæ:
Subſidunt: altos inducere equisq;, virisq;
Ille valet ſomnos. Hunc Ditis nigra paueſcit
Regia, Tartarei trepidare hunc ſpiritus Orci.

Huic

*Huic ergò resonare sacræ præconia laudis,
Huic dare thura decet: sacra soli huic soluere vota:
Hunc vnum ventos, facilesq; exposcere cursus.
Tum vigili nostris studio parère Magistris,
Quaq; par est, mandata sequi pietate, cauere
Si quæ vetant, monitisq; pias aduertere mentes.
Herculeos grato fas est celebrare labores
Pectore: tollendi stellantis ad aurea Cæli
Sidera laude viri, nauis queis vnica menti
Cura sedet: totis qui nixi viribus alti
Contendunt superare vias: Pelagiq; furores
Vincere: defunctosq; via, pontiq; periclis
Solutos placido in Doctrinæ sistere cursu.*

*Inter quos nomen primum, primamq; supremæ
Palmam laudis habent nostri veneranda Lycæi
Lumina: diuinæ stirpis Generosa propago
Illustres animæ: Vos inclyta facta Parentum
Et VIRTUTIS honos propriæ supra astra reponit.
Vos domus armigeri fama celeberrima Martis
Pallados insignis studijs: pietate verenda
Diuina, superas in luminis edidit aulas.
Prima Domus vestræ si cui repetatur origo
Splendida, magnanimos dabitur numerare, potentes
Et VIRTUTE Duces, claris quos dextera factis
Inclyta, stellanti Dijs magnis miscet Olympo:
Queis Scipioniades cedunt, magnosq; Camillos:*

*Studiosis
quid faciendum.*

*Gratiarum
actio.
I.
Ad Illustrissimos
Principes.*

Qui superant animis: Decios vincuntq; ruentes
Pro patria pietate sua, ac ingentibus ausis
Quos mihi si cunctos nunc sit memorare voluptas
Ante diem clauso componit vesper Olympo.

2.
Ad Comites & Barones.
Quis taceat, quis nondiuinis laudibus ornet
Illustres Comites, Generosaq; pectora, natos
Magnanimum Heroum, tumidas qui marmoris undas
Nobiscum peragrant: Heliconis ad ardua montis
Culmina, Thespiadumq; domos quos carpere gressus
Ardor agit, mentis quos vis Generosa fatigat:
Hi veluti radijs stellas supereminet omnes
Titan: sic VIRTUTE alijs, sic stemmate clari
Semidei præstant generis: calcaria nobis
Addunt: VIRTUTISq; monent tendamus ad ædem.

3.
Ad D. Scholarchas & Senatores.
Vos quoq; pro meritis fas est memorare, SCHOLARCHAS
Insignes Pietate Viri, qui sancta Lycæi
Feritis sceptrâ, sacri vosq; ô pia fulcra SENATVS
Musarum clypeus NOSTRÆ ancora ferrea PVPPIS.
Vos Nauem hanc seruare iuuat, dum singula largis
Confertis manibus, cursus quæ postulat, altis
Dum mersas tenebris reuocatis ad æthera Musas
Vos estis PATRIÆ PATRES, columenq; SCHOLARVM.

4.
Ad D. Rectorem.
Te quoq; voce pia, grata tẽ mente saluto
Qua possum te laude vebo, caput acre Lycæi
Nostri, Neleidem faciundæ munere linguæ
Nestora tu superas: tu nos per inhospita vectas

Æquo-

Æquora: tu fidus docto regis arte carinam.

Et vos quæis animos cura est frenare Iuuentæ

Gloria Castalidum, lectissima pectora Phæbi

Vestra iuuat nostros solers industria fructus,

Pegaseo plenas Vos fertis flumine lymphas:

Aspera Vos studijs mulcetis pectora: Phæbi

Diuitias, docta nobis recluditis arte

Castaleos latices. Quis te memoranda silere

Turba queat, quæ tot Neptuni emensa pericla

Musarum aspectu frueris, placidoq; quiescis

Portu, nosq; vocas plenâ ad tua limina voce.

Vos sacra diuini seritis qui munera verbi

Vos iter ad superam qui nobis panditis arcem.

Vosq; Sacerdotes Themidos, Vos fulcra ruentis

Vnica IUSTICIÆ: Doctiq; Machaonis arte

Illustres, clarosq; Viros, Sophiæq; MAGISTROS.

Vos quoq; quos generis splendor, numerosaq; stirpis

Nobilitas, atauumq; decus commendat, & artes,

Insignes Iuuenes, Phæbei fontis alumnos.

Dignas his mentis quamuis nunc soluere grates

Non opis est nostræ: semper tamen illa sedebunt

Conditamente pia: nostris infixæ medullis

Hærebunt: viuos dum spiritus hos reget artus:

In freta dum current fluuij: dum signa reducet

Sol anni duodena: Polus dum sidera pascet:

Semper honos, vestrumq; decus, laudesq; manebunt.

5.

Ad Profes-
sores &
Præcepto-
res.

6.

Ad Theop-
logos.

7.

Ad Iure-
consultos,
& Medi-
cos.

8.

Ad Stu-
diosos Ad-
lescentes.

Te

*Precatio
ad CHRIS-
TVM.*

*Te verum, qua laude feram? quæ carmina pangam?
CHRISTE tibi, Christe ò nostræ Rex vnice puppis.
Te Duce nam pelagi magnas obeuntia terras
Tot sumus ingressi vada, ventis vela secundis
Tu nostra implesti: Tu quæ Nos plurima lapsò
Hoc petière anno, quæ nos cinxère pericla
Vidisti Clemens, & nostro limine dextrâ
Pulfasti ætherea: Mauortisq; ausa furentis
Restinxti: facilis: per te fuit æquore cursus.
Te canimus, meritosq; tibi spondemus honores.
Hûc ades, & propius IESV tua numina firma:
Respice nos, porroq; foue tua membra: carinam
Protege: da faciles cursus: nostrosq; SCHOLARCHAS
Conserua: Nauisq; tuo rege CHRISTE Magistros
Auxilio: dubijs DEVS ò ne defice rebus.
Errorum cohiberoboantia flamina: nostram
Tanto quæ feriunt classem (proh) impete, fluctus
Pelle procul Martis: nostrisq; Penatibus arce
Annonæ Harpyias. Tusterne ferocia forti
Monstra manu: nostros monstra impedientia cursus.
Quod superest petimus, liceat dare tuta per vndas
Vela DEVS: liceat Doctrinæ attingere portum
Tu varijs tandem Nos tempestatibus actos
Accipe: Tu nobis spaciofa Volumina Cœli
Pande: vbi perpetuos tibi Nos libemus honores.*

D I X I.

F I N I S.